

lythi, subdiaconi, diaconi, irregularitatem saltem in tantum contrahunt, ut ad ordines superiores ascendere non amplius valeant, si crimen sit publicum, arg. c. 2, h. t. ubi licet de solo acolytho ministrante sermo sit, tamen etiam idem de aliis ministris merito extendunt Barbosa, in cit. c. 2, h. t., n. 8. Pirhing, h. t. n. 14, et alii. Ratio est, quia non respectu solius acolythi qua talis, sed ratione ministerii ex officio præstiti, ministrans rebaptizanti, irregularitatem contrahit; quæ ratio etiam in aliis militat.

37 et 38. *Pœnas præfatas non incurrit, qui sub conditione vel ignoranter rebaptizatur.* — Dicitur autem notanter in conclusione, qui absolute, et scienter, qui enim non absolute sed sub conditione: Si non es baptizatus, te baptizo, quis rebaptizatur, aut rebaptizatur, irregularitatem non incurrit; etiamsi temere, et sine prævia inquisitione, utrum jam baptizatus fuerit, id fiat. Barbosa, in c. 2, h. t. num. 2. Layman, lib. I, tract. V, p. 5, cap. II, num. 1. Navarrus, in *Man.* cap. XXVII, num. 246. Pirhing, h. t., n. 13. Bonacina, et alii. Ratio est, tum quia leges pœnales debent intelligi cum effectu, qualis in tali casu non haberetur hoc ipso, quod conditio apposita, si subest, et suspendat, et impediatur actum, eumque cessare faciat; tum quia sub conditione baptizans non habet intentionem rebaptizandi jam prius baptizatum; cum actum agentium non operentur ultra intentionem illorum, arg. l. *Non omnis.* ff. *Si certum petatur.*

Pariter ab irregularitate immunis est, qui ex ignorantia (dummodo crassa non sit) rebaptizatur, aut rebaptizatur. Scotus, in 4, dist. 6, q. 8. Layman, loc. cit. num. 1 et 2. Covarruvias, *Man.*, cap. XXVII, num. 146, cum communiori, et probabiliori aliorum. Ratio est, tum quia hæc irregularitas imponitur propter delictum; ergo ubi ob ignorantiam abest delictum; seu culpa, abest etiam irregularitas; tum quia proprie loquendo, non censetur iteratum, quod nescitur esse factum, can. *Solemmitates*, 16, dist. 1, de *Consecrat.*

39. *Solvitur instantia.* — Objiciunt adversarii can. *Qui in qualibet*, 10, cau. 1, q. 7, ubi dicitur: Qui in qualibet ætate alibi, quam in Ecclesia Catholica baptizati, aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere. Item can. *Qui bis*, 117, dist. 4, de *Consecrat.* ibi: Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indi-

gent pro eo se pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Resp. Per hos canones nil probari contra doctrinam num. præced. positam. Nam primus textus intelligi debet de ætate discreta, et doli capax, ut bene ibi explicat Glossa, *Ætate*, et colligitur ex verbis subsequentibus; atque concordat can. *Placuit*, 3, can. *Qui apud*, 4, cau. 1, q. 4, ubi expresse habetur, parvulos ab hæreticis baptizatos, postea si adulti ad fidem, et Ecclesiam fuerint conversi, ad ordines promoveri posse; additur ratio, videlicet, quia suo id non fecerunt iudicio. Ad can. *Qui bis*, respondetur, illum non habere vim legis, cum nec a Papa, nec ab aliquo concilio proveniat, sed desumptus sit ex pœnitentiæ Theodori, ut bene advertit Covarruvias, loc. cit.

40. *Quis dispenset in irregularitate ob reiteratum baptisma contracta?* — Cæterum in irregularitate, quæ contrahitur ob iteratum baptisma solus Papa dispensare potest, si delictum est publicum. Barbosa, in c. 2, h. t., num. 7. Palao, tract. XXVII, disp. 6, pun. 16, num. 14. Pirhing, h. t. Si vero delictum est occultum, dispensare valet episcopus vigore concilii Tridentini, sess. 24, de *Reformat.* cap. VI.

41. *Iterantes confirmationem non contrahunt irregularitatem.* — Quæritur VI. Num etiam ob iterationem sacramenti Confirmationis contrahatur irregularitas. Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi desumitur ex can. *Dictum*, 8, dist. 5, de *Consecrat.* ubi æqualiter prohibetur reiteratio baptismi, et confirmationis. Quo non obstante Resp. Negative Covarruvias, in cit. Clem. *Si furiosus*, p. 1, num. 8, et alii. Ratio est, quia nulla in jure reperitur statuta irregularitas in reiterantes confirmationem, ubi autem in jure expressa non est, asserti non potest, arg. c. *Is qui*, 18, de *Sentent. Excommun.* in 6, ibi: Irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.

Solvitur instantia. — Ad can. *Is qui*, respondetur, ibi quidem æqualiter prohiberi iterationem utriusque sacramenti, non tamen æqualem pro utriusque reiteratione pœnam statui; consequenter cum pœnæ non sint extendendæ de casu ad casum per ea, quæ diximus lib. I, tit. II, de *Constit.* num. 429, eas, quæ contra iterantes baptisma statutæ sunt, ad iterantes Confirmationem extendere non debemus.

TITULUS X.

De his, qui filios occiderunt.

1. *Ratio continuationis.* — Post crimina, quibus contra Deum, ejusque divinum cultum immediate, et principaliter delinquitur, recto ordine pergunt compiler ad delicta, quibus proximus læditur in corpore et vita, utpote quæ inter temporalia est summum hominis bonum. Hinc in præsentem, et nonnullis sequentibus titulis de homicidio, quo vita hominis tollitur, tractatur. Et quoniam inter homicidia omnium gravissimum est parricidium, de hoc ante omnia in præsentem titulo agitur.

2. *Parricidium proprie dictum, quid?* — Quæritur I. Quid sit parricidium? et quæ pœnæ ipsius? Resp. I. Parricidium proprie tale est homicidium, quo proles parentem, avum, aut aviam, vel parens prolem occidit. Communis. l. un. C. de *His, qui parentes aut filios occid.* et l. I, ff. et l. *Pœna parricidii*, ff. *Ad legem Pompeiam de parricidio.* Nec refert, sive quis patrem, sive matrem, sive legitimum, sive naturalem duntaxat occidat, aut ab horum aliquo occidatur proles, aut si hæc incestuosa, adulterina, aut sacrilega sit, quodvis enim hujusmodi homicidium, proprie dictum parricidium est. Clarus, § *Parricidium*, num. 2. Farinacius, in *Praxi criminali*, part. V, q. 120, sect. 5, num. 105. Alexander, in l. *Ex facto*, § *Si quis rogat*, ff. ad S. C. Trebell.

3. *Lege humana olim habebant parente potestatem in liberos suas.* — Nam licet olim lege civili parentum potestas etiam in vitam liberorum fuerit, ut asseritur l. *In suis*, 11, ff. de *Liber. et posthum.*, et l. fin. C. de *Patria potestate*, ibi: Patribus, quibus jus vitæ in liberos, necisque potestas olim erat permissa: tamen hæc potestas eis etiam lege humana fuit ademta, l. *Divus*, 5, ff. *Ad legem Pompeiam, de parricidio*, et l. un. C. de *Emendat. propinq.*, ut proin necem, qua parens prolem occidit, parricidium esse, extra controversiam sit.

4. *Parricidium improprie, et large tale, quid?* — Dicitur autem notanter in conclusione, num. 2, posita, parricidium proprie tale; quia improprie et large loquendo, parricidium est et dicitur quodvis homicidium cujusvis consanguinei etiam collate-

ralis, vel etiam affinis, item et conjugis, cit. l. I, ff. *Ad legem Pompeiam de parricidio*; ibi: *Lege Pompeia de homicidio cavetur, ut si quis patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patrualem, matrualem, patruum, avunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum, privignum, etc., occiderit: sed et mater quæ filium, filiamque occiderit, etc., et avus qui nepotem occiderit, etc.* Ad parricidium improprie tale reducitur etiam homicidium novercæ, sponsi item, vel sponsæ, l. *Sed sciendum*, 3, ff. *Ad legem Pompeiam de Parricidio.*

5. *Pœna parricidii proprie talis, quæ olim fuerit de jure civili.* — Resp. II. Pœna parricidii proprie talis jure civili olim erat, ut sequitur: Si quis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus qua nuncupatione parentum continentur, fata præparaverit (sive clam sive palam id ausus fuerit) necnon is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis extitit, licet extraneus sit, pœna parricidii puniatur et neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemnium pœnæ subiciatur sed insutus culeo cum cane et gallo galkinaceo, et vipera et simia, et inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, et ei cælum supersit, et terra mortuo auferatur. Ita expresse statutum habetur, § 6. *Instit. de publicis judiciis*, quod idem etiam statuitur l. *Pœna parricidii*, ff. *Ad legem Pompeiam de Parricidio*. et l. un. C. *De his, qui parentes, vel liber.*

6. *Et quæ hodie sit?* — Verum hæc pœna ob periculum desperationis non amplius est in usu (excepta Hispania, in qua teste Gomez, lib. III, variar. resolut., cap. III, n. 4, adhuc viget) sed juxta Constitutionem criminali Caroli V, a. 131, mater (idem est de aliis parricidiis) qui vivum infantem a se editum malitiose occidit, viva in terra defodi, et per ejus corpus stipes, seu palus transfigi, aut ad desperationem evitandam aqua suffocari debet. Verum et hæc pœna in usu esse desinit, ejusque loco aliæ pœnæ pro diversitate circumstantiarum, arbitrio judicis, et consuetudine locorum, vel legum municipalium exasperandæ, vel mitigandæ infliguntur; alicubi enim ad caudam equi ligati trahuntur, et postea rotæ affiguntur: alibi membra cruciantur rota: alibi decapitantur, et ca-

pita sola rotæ affiguntur: alibi strangulantur, et dolio inclusi in flumen projiciuntur, uti videre est apud Julium Clarum, *ŷ. Parricidium*, num. 5, plures similes pœnas referentem.

7. *Pœna parricidii improprie talis quæ?* — Resp. III. Pœna parricidii improprie talis jure civili est pœna legis Corneliæ de sicariis, id est ordinarium homicidii supplicium, cit. § 6. Institut. de publicis judiciis, ibi: Si quis autem alias cognatione, vel affinitate personas conjunctas necaverit, pœnas legis Corneliæ de sicariis sustinebit. Quod idem habetur l. 1, et l. Pœna parricidii, 9, ff. Ad legem Pompeiam, de parricid. ibi: Qui autem alias personas occiderit, præter patrem et matrem, avum et aviam, capitis pœna plectatur, aut ultimo supplicio mactetur. Ita tamen ut etiam pro diversitate circumstantiarum ac consuetudinis locorum pœna hæc exasperetur. Et quidem juxta Constitutionem criminal. Caroli V, art. 137 in fine, persona, quæ conjugem, aut consanguineum proximorem occidit, ante forcipibus ardentibus aduritur, vel trahæ imposita ad locum supplicii rapitur.

8. *Quæ pœna jure canonico instigatur proli necanti parentem?* — Resp. IV. Jure canonico, qui matrem occidit (idem dic de alio parricida patris) subjacet pœnis, quæ recensentur can. *Latores*, 15, *caus.* 33, q. 2, illis verbis: *Latores præsentium matricidam esse cognoscimus. Cui præcipimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat ita ut per annum integrum ecclesiam non ingrediatur, sed ante foras Basilicæ orans, et deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo introeundi in ecclesiam licentiam habeat; tamen inter audientes stet, sed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis sacræ communionis ei gratia concedatur; oblationes vero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur.*

His autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus, atque Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecosten. Et quocumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur; sed pedibus proficiscatur, arma non sumat, nisi contra paganos; jejuset autem tribus diebus per hebdomadam usque ad vesperam. A propria quidem, ac legitima conjuge non separetur, ne in forni-

cationis voraginem corruat; quod ne fiat, optamus. Si autem ante annorum trium cursum finis vitæ illius appropinquaverit, corporis et sanguinis Domini nostri JESU Christi particeps fiat; sin autem, ut supra statuimus: efficiatur. Tamen, si illius conversionem, et lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, et optimis operibus pullulare, humanius circa eum vestra sollicitudo pervigil appareat. mitisque omnibus demonstratur.

9. *Et quæ parenti necanti prolem.* — *Patens vero vidua occidens prolem debet ad agenda pœnitentiam in monasterium detrudi, et si nullum est incontinentiæ periculum, a secundis nuptiis arceri, c. 1, h. t.*

10. *Clericus parricida hodie debet degradari, et curiæ sæculari tradi.* — Verum recentis hæc pœnæ per canones statuti hodie non amplius sunt in usu. Unde in casu parricidii id observare habet judex ecclesiasticus ut laicum parricidam illico remittat judici sæculari, pœnis legis puniendum: clericum vero prius juxta præscriptum canonis deponat, ac degradet, sicque degradatum curiæ sæculari tradat; cum enim propter simplex homicidium clericus degradari, et in arctum monasterium detrudi debeat, c. *Cum ab homine*, 10, de *Judiciis*, et c. *Tuæ*, 6, de *Pœnis*, pro qualificato homicidio utique gravius puniri debet; consequenter curiæ sæculari tradi; quia aliam graviolem pœnam non habet, cum excommunicatio locum non habeat nisi in reum incorrigibilem, Pirhing, h. t. num. 5.

11. *Prohibitum est ordinariæ, ne parentes in eodem lecto tenentes tenellum infantem, dormiant.* — Illud etiam ad propositum notandum, quod a jure canonico prohibeatur, ne parentes tenendo secum in eodem lecto tenellos infantes dormiant, can. *Consulisti*, 20, *caus.* 2, q. 5, ibi: *Monendi atque protestandi parentes, ne tam tenellos secum in illo lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, aut opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Quod si contra hanc prohibitionem agentibus parentibus infans mortuus reperitur, et nesciatur, cujus culpa patris aut matris id contigerit, per tres annos, et quidem uno integro in pane et aqua transigere debent, c. *fiu.* h. t. hoc ipso, quod licet mortem infantis non intenderint, nec præviderint, mortis tamen periculo eundem exposuerint, Valensis, h. t. num. 2. Verum hanc quoque pœnitentiam*

non amplius in usu esse, et pœnam arbitrio judicis injungendam esse, testantur Abbas in c. *fin.* h. t. in fine, Decianus, *Præxi criminal.*, lib. IX, cap. VIII, n. 20. Menochius, lib. II, de *Arbitr. Judic.*, q. 356, n. 61. Imo si talis cubatio omni culpa caret, uti juxta Barbosa in c. *fin.* h. t. num. 2. contingere potest, si v. g. lectus est latus, et puer implacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum, omnis pœna cessabit. Pirhing, h. t. num. 8.

12. *Pœna contrariorum facientium.* — *Contra vero si parens aliquis hujusmodi homicidii ex memorata simultanea cubatione in lecto culpabiliter reus probetur, aut talem se fateatur, jubente sacro canone utique puniri debet: arg. cit. can. Consulisti, 20, caus. 2, q. 5, ibi: Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio; quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est; quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit.*

13. *Quam pœnam jure civili incurrat mater procurans abortum fetus animati?* — *Quæritur II. Specialiter, quibus pœnis subjaceant parentes, et alii abortum procurantes? Resp. I. Mater, quæ procurat abortum foetus jam animati, eumque vel in utero necat, vel vivum expellit, ac interimit, verum parricidium committit, pœnarumque illius jure civili constitutarum rea est; de cujus juris legibus et pœnis, vide supra a num. 5. Quibus adde l. *Cicero*, 39, ff. de *Pœnis*, et *Constitut. criminal. Caroli V*, art. 133, ubi pœna capitalis contra ita delinquentem specialiter statuitur.*

14. *Et quam, si fetus adhuc inanimatus erat.* — *Resp. II. Si vero fetus nondum fuit animatus, jure civili nec homicidii, nec ultimi supplicii rea, sed pœna judicis arbitraria, v. g. exilii, fustigationis punienda erit mater abortum procurans. Clarus, § *fin.*, q. 68, n. 2. Menochius, de *Arbitr. judic. casu*, 357, arg. l. *Si mulierem*, 8, ff. *Ad legem Cornel.*, sic. et l. *Cicero*, 39, ff. de *Pœnis constitut. criminal. Caroli V*, art. 133.*

15. *Jure ecclesiastico præsertim per Bullam Sixti V gravissimæ statuti sunt pœnæ contra omnes directe, ac indirecte, procurantes abortum, juvantes item, confidentes.* — *Resp. III. Jure ecclesiastico gravissimæ statuti sunt pœnæ contra quoscunque sive directe, sive*

indirecte procurantes abortum, præcipue vero per Constitutionem Sixti V. Ad effrænatam: quæst. 87, inter Constitutiones dicti Pontificis in tomo II, Bullarii Cherubini, digna, ut per extensum hic referatur.

16. *Refertur dicta Sixti V, Bulla per extensum.* — *« Effrænatam perditissimorum hominum contra divinæ legis præceptum de non occidendo, peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus, variisque constitutionibus sæpius repressam animadvertentes: cogimur nos quoque in supremo justitiæ throno a Domino constituti, justissima ratione suadente, vetera jura partim innovando, partim ampliando, eorum etiam immunitatem pari pœna proposita coercere, qui immaturos foetus inra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis enim non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa jactura sequitur? quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, et ad consortium Angelorum destinatum, a beata Dei visione exclusit, reparationem celestium sedium quantum in ipso lauit, impedivit, Deo servitium sacræ creaturæ ademit? Qui liberos prius vitæ privavit, quam illi a natura propriam lucem accipere, aut se materni custodia corporis ab efferata sævitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eo usque processit, ut etiam venena procuraret, ad conceptos fetus intra viscera extinguendos et fundendos, etiam suam prolem prius interire quam vivere, aut si jam vivebat, occidi, antequam nasci nefario scelere moliendo! Quis denique non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, ne pariant, maleficis medicamentis impediunt? Maleficos, inquit Dominus ad Moysen, non patieris vivere; nimis enim impudenter contra Dei voluntatem se opponunt, qui, ut S. Hieronymus ait, dum natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguunt, dum inter ventris angustias DEI manus semper operator, idemque corporis creator et animæ est, impie despicit bonitatem figuli, id est DEI, qui hominem plas-*

mavit, fecit, et voluit, siquidem, ut sanctus testatur Ambrosius, non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis divinum donum est fecunditas parientis, eodemque tempore diro ac flagitio privantur liberis parentes, qui generaverunt; vita filii, qui generati sunt, matres conjugii præmiis, terra quæ ab his coleretur, mundus qui ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quæ devotæ numero plebis aucta gauderet. Unde non immerito sexta synodo Constantinopolitana sancitum est, ut personæ quæ dant abortivam facientia medicamenta, et quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjiciantur, sed et veteri concilio Ilerdensi cautum est, ut qui conceptos ex adulterio fœtus necare non puduerint, vel qui in ventris matrum potionibus aliquibus colliserint, si postea pœnitentes ad Ecclesiæ mansuetudinem recurrunt, omni tempore vitæ suæ fletibus, et humilitati insistant, si vero clerici fuerint officium ministrandi eis recuperare non liceat, omnesque tam Ecclesiasticæ quam profanæ leges gravibus pœnis afficiunt eos, qui in utero matris puerperium interim, aut ne mulieres concipiant, sive ut conceptos fœtus ejiciant, nefarie machinantur.

» § I. Nos igitur post repressam eorum temeritatem, qui matrimonii jura violare, et quantum in ipsis est vinculum indissolubile dissolvere præsumant, quive turpioribus, quibusdam incestis se inquinare non erubescunt, hoc quoque malum, quantum viribus nobis a Domino traditis contendere possumus, nostris potissimum temporibus exterminare volentes. Omnes et quoscunque tam viros, quam mulieres cujuscunque status, gradus, ordinis, etiam Clericos sæculares, vel cujuscunque ordinis, sæculares, quavis dignitate et præeminentia ecclesiastica mundana fulgentes, qui de cætero per se, aut interpositas personas abortus seu fœtus imaturi, tam animati, quam inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint, percussionebus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impositis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime requisitis rationibus, ita ut re ipsa abortus inde secutus fuerit, ac etiam prægnantes ipsas mulieres, quæ scienter præmissa fecerint, pœnas tam divino quam humano jure, tam per canonicas sanctiones, et Apostolicas constitutiones, quam civilia jura adversus vero homicidas, qui

homicidium voluntarium actu ei re ipsa patriverint, propositas et inflictas (quorum omnium tenores, his nostris litteris expressis, et ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus, ipsaque pœnas, leges et constitutiones ad casus præfatos extendimus.

» § II. Eos vero, qui clerici fuerint, omni privilegio clericali, officiis, dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis, quæ sic vacatura nostræ, et Sedis Apostolicæ dispositioni perpetuo reservamus, ipso facto privamus, et in futurum inhabiles ad ea suscipienda discernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii, qui sua voluntate homicidium perpetraverint, juxta concilii Tridentini decreta, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros ordines promoveri, aut in susceptis ordinibus ministrare nullo modo possint, nec istis aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine ac beneficio, et officio perpetuo careant.

» § III. Necnon et illos, qui clerici non fuerint, et talia perpetraverint, non solum pœnas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad ordines et alia prædicta decernimus et declaramus.

» § IV. Volentes quod hi, qui foro ecclesiastico subjecti, ut præfertur deliquisse comperti fuerint, per judicem ecclesiasticum depositi et degradati, Curia et potestati sæculari tradantur, quæ de eis illud capiat supplicium, quod contra laicos vere homicidas per divinas leges, ac civilia jura est dispositum.

» § V. Præterea eisdem pœnis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena potionibus propinaverint, et quominus fœtum concipiant, impedimentum præstiterint, ac ea faciendâ et exequenda curaverint, sive quocunque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas quæ eadem pocula sponte ac scienter sumpserint.

» § VI. Quocirca mandamus universis et singulis judicibus ordinariis et delegatis, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad causas hujusmodi de jure vel ratione delicti, aut personarum legitime competet jurisdictio, ita tamen ut inter eos præventionis locus sit, ut in his delictis, quæ ut plurimum

in occulto perpetrantur, contra quoscunque, non solum per accusationem, et delationem, verum etiam per inquisitionem ac simplicem denuntiationem procedant, ac ad illa probanda testes alias de jure inhabiles, eorumdem tamen judicium arbitrio, habita ratione personarum, causarum, et qualitatum illarum, ac circumstantiarum quarumcunque, admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per nos sancitum est, demum animadvertant.

» § VII. Insuper ut immanissimi hujus delicti gravitati non solum temporalibus, verum tamen spiritualibus pœnis prospiciamus, ac provideamus, omnes et singulos cujuscunque status, gradus, ordinis, et conditionis existentes, tam laicos, quam clericos, sæculares et cujuscunque ordinis regulares, necnon mulieres sæculares, et quemcunque ordinem professas, qui vel quæ, vel uti principales, vel ut sociæ consciæve ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas vel apochas, vel alias verbis aut signis juverint aut consuluerint, ultra supra dictas pœnas, ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus, et pro excommunicatis declaramus.

» § VIII. Decernentes ac declarantes, quod per quæcunque jubilæa et indulgentias, per nos et successores nostros, etiam anno jubilæi, aut alio quovis tempore, etiam cruciatæ sanctæ, jubilæi, vel quovis alio titulo concessas et concedendas, necnon per quascunque litteras Apostolicas quibusvis principibus, seu ad eorum instantiam per nos et successores nostros pariter concessas et concedendas, ac etiam vigore privilegiorum Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibusvis congregationibus regularium, aut episcopis vigore concilii Tridentini vel alias per nos et prædecessores nostros quomodocunque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personæ sic ut præfertur delinquentes et excommunicatæ, præterquam in mortis articulo absolvi valeant, nec cum iis clericis qui hujusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen occultum fuerit, super irregularitate præmissorum occasione contracta, nec per locorum ordinarios, nec per alios quavis auctoritate iungentes, quam per nos et Rom. Pontific. nostros successores et non nisi urgentissima de causis dispensari pos-

sit. Ac tam absolvendi, quam dispensandi facultatem hujusmodi etiam quoad forum conscientia in casibus superius expressis, nobis et successoribus nostris duntaxat reservamus.

» § IX. Statuentes sic in præmissis universis et singulis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et impetrandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia judicari et definiri debere irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

» § X. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aut aliis legibus aliter forsitan circa præmissa disponentibus, aut in casibus præfatis distinguendis, cæterisque contrariis quibuscunque.

» § XI. Volumus autem, ut præsentium litterarum exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in iudicio et extra adhibeatur, quæ originalibus litteris exhibitis adhiberetur. Quodque eadem ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Floræ, de more publicatæ et affixæ dimissis inibi earum exemplis, post quindecim dierum spatium a die hujusce publicationis numerandorum, quemcunque afficiant, ac si unicuique forent intimatæ, cum non sit verisimile quemquam ea posse ignorare, quæ palam ac publice fuerint evulgata.

» § XII. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostræ constitutionis, statutorum, ordinationis, extensionis, decretorum, etc. Si quis hoc attentare præsumserit, etc.

« Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ 1588. Kalend. Novemb., Pontif. nostri anno 4. »

17. *Hanc Bullam Sixti V moderavit Gregorius XIV quoad pœnas procurantium abortum fœtus inanimati, non item animati.* — Hanc rigidam Bullam Sixti V, moderavit quidem postea Gregorius XIV, sed non nisi circa absolutionem ab excommunicatione, et circa directe vel indirecte procurantes abortum fœtus adhuc inanimati, ut proin circa pœnas contra directe, aut indirecte, procurantes abortum fœtus animati Bulla